Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars II.
Wien, 1794 Seite 2289
Quelle:
Copyright:

ſuperiore *Stiria* et nominatim in *Judenburga* exorti inſcripta: *Venerabili provido et ſollicito viro domino — — In ſuperiori Stiria Archidyacono Decanus et Magiſtri Sacre Theologie Vniuerſitatis Studij Wienn.* Error porro ipſe eſt hujusmodi: *quod dominus deus cum XXIIII. ſenioribus, quos beatus Johannes apoſtolus IIII* (Apoc.) *capitulo commemorat, ſingulis feriis quintis quatuor temporum quaſi ad iudicium reſideat, et cum eis conſilietur de futuris agendis per quartam anni proxime ſubſequentem. Quodque circa vnum quemque hominem tunc primo preordinet, an in eadem quarta moriturus ſit, an victurus aut quid aliud circa ipſum futurum ſit proſperi uel aduerſi. Credentes antedictos XXIIII. ſeniores fore quosdam ſpeciales ſanctos conſtituentes quemdam ſanctorum ordinem ab apoſtolorum et prophetarum et aliorum ſanctorum ordinibus diſtinctum. Qua occaſione aliqui ſimplices et indocti predictos XXIIII. ſeniores pingi faciunt ſub certis ymaginibus et cum nominibus ignotis ipſis in nulla ſcriptura applicatis, ac per ſpeciales miſſas, quas de ipſis, neſcimus per quos aut cuius auctoritate compoſitas, et per quasdam ſpeciales ceremonias colunt et coli faciunt; credentes ſe ex hoc per eorum ſuffragium in ſuis negociis proſperari. Et maxime in predicta feria quinta eos colunt et coli faciunt, ut tunc temporis tanquam ſpeciales dei conſiliarij propicij ſint et eis pro futura quarta proſpera impetrent.* Sententia haec data eſt: *Wienne in Ducali Collegio in noſtra generali congregacione ſuper hoc ſolempniter celebrata Anno Domini MCCCC viceſimo primo XVII. die menſis Octobr. ſub noſtri ſigilli appenſione ad certitudinem preſcriptorum.* Nihil de hoc negotio in *Hiſt. Univerſit.* Nos illud alibi tangimus. Decanum facult. Theol. ad h. a. in *Locheri Spec. Acad.* invenio *Theodoricum Rudolphi de Hammelburg* Canonicum *Vienn. Fol.* 184. recurrit absque autoris nomine, qui *Petrus de Pulka* eſt, *Copia doctorum Wienn. de articulis Huſſitarum*, quae incipit: *Juſſit Reuerendiſſima veſtra paternitas* &c. et jam ſaepius indicata fuit.

V. *fol.* 227. *Tractatus de V. Senſibus.* Prooemium incipit: *Quanta mala incurrant, qui exteriores ſuos quinque ſenſus non habent in cuſtodia* &c. Sequuntur *Sermones* VII. quorum primi Initium: *Adeo dei dono taliter qualiter pauca pro intellectu rudium* &c. Ad calcem jacet: *Anno domini 1448. Amen.* Autorem nobis produnt *Trithemius n.* 705. et *Codex Mellicenſis Thomam de Haſelbach*, de cujus Viri meritis et ſcriptis adi *Scriptt. Univ. Vienn. P. I. Sec.* I. p. 138. *Aeneae Silvii* de eo Dictum ad nauſeam recoctum eſt. Vide tamen, quae de *Tractatu* praeſenti ad *Cod.* DCLXXVII. dicturi ſumus.

DCVII.